

- veniat, et quia verum singuli audire non vultis, publice audite.
- 20 'Quousque fines possessionum propagabitis? Ager uni domino qui populum cepit angustus est? Quousque arationes vestras porrigetis, ne provinciarum quidem spatio contenti circumscribere praediorum modum? Inlustrum fluminum per 5 privatam decursus est et amnes magni magnarumque gentium termini usque ad ostium a fonte vestri sunt. Hoc quoque parum est nisi latifundiis vestris maria cinxistis, nisi trans Hadriam et Ionium Aegaeumque vester vilicus regnat, nisi insulae, ducum domicilia magnorum, inter vilissima rerum 10 numerantur. Quam vultis late possidete, sit fundus quod aliquando imperium vocabatur, facite vestrum quidquid potestis, dum plus sit alieni.
- 21 'Nunc vobiscum loquor quorum aequae spatiosae luxuria quam illorum avaritia diffunditur. Vobis dico: quousque 15 nullus erit lacus cui non villarum vestrarum fastigia immineant? nullum flumen cuius non ripas aedificia vestra praetexant? Ubi scatebunt aquarum calentium venae, ibi nova deversoria luxuriae excitabuntur. Ubi in aliquem sinum litus curvabitur, vos protinus fundamenta 20 iacietis, nec contenti solo nisi quod manu feceritis, mare agetis introrsus. Omnibus licet locis tecta vestra resplendeant, aliubi inposita montibus in vastum terrarum marisque prospectum, aliubi ex plano in altitudinem montium educta, cum multa aedificaveritis, cum ingentia, tamen et singula corpora estis 25 et parvula. Quid prosunt multa cubicula? in uno iacetis. Non est vestrum ubicumque non estis.